

Sanctis, et de B. Maria Lauretana. Quod decretum nuper, nempe hoc anno 1727. *sub. die 2. Septembris* renovatum fuit, sub iisdem poenis observandum a Sanctissimo Benedicto XIII.

Quoad Litanias de Beata Maria Virgine, sciendum est, quod iis addi non possunt alia attributa, seu nomina Mariae Virginis, Cors. *Tr. 1. p. 1. c. 18. n. 16.*

23 24 In majoribus vero de recenti additus fuit versiculus *A flagello Terraemotus* de mandato, non autem per decretum, Sanctiss. Pontificis Clementis XI. anno 1702. quo Romae Terraemotus insaevire cœperat. Pariter nomen Sanctissimi Joseph sponsi Beatae Mariae Virginis insertum fuit in iisdem Litanis anno 1726. eodem Summo Pontifice Benedicto XIII. mandante. Sed de Litanis majoribus luculenter verba faciemus in Titulo *de Processionibus, et de Litanis majoribus.* Ideoque hic satis.

§. IV. *Pater noster, etc. Secreto, etc.*

25 Secreto dicitur Pater noster usque ad, *et ne nos inducas in tentationem* exclusive, ut quisque oret pro suo libitu, et necessitate; illique petitioni magis innitatur, quae magis eum juvet, Gavant. *T. 2. sect. 4. c. 6. n. 10.*

26 Psalmus 69. post Litanias, olim erat diversus, Gavant. *T. 2. sect. 9. cap. 3. num. 12.* est Psalmus exultationis, et recitatur pro gratia, et rememoratione gratiae tamquam acceptae, Bellarm. *in Ps. 69.*

DE

VISITATIONE ET CURA INFIRMORUM.

TITULUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Mancinius scripsit optime in hac materia.
- 2 Institutio Clericorum Reg. ministrantium Infirmis valde utilis.
- 3 Adhuc in Parochis viget obligatio visitandi suos Infirmos.
- 4 Parochi tenentur de jure visitare Infirmos suae Parochiae.
- 5 Sacerdotum munus est Animas juvare.
- 6 Parochus non debet expectare, ut vocetur ad Infirmum.
- 7 Parochus debet investigare Infirmos. et accedere ad eos.
- 8 Populus admoneri debet, ut advocet Parochum quando quis infirmatur.
- 9 Catalogus Infirmorum habendus a Parocho.
- 10 Regula Concilii Agathensis pro Infirmis.
- 11 Legitimum impedimentum dispensat Parochum ab omni munere.
- 12 Impedimenta legitima enumerantur.
- 13 Parochus si habet infirmos cum periculo, non debet vagari.
- 14 Absens tenetur substituere aliquem Sacerdotem idoneum.
- 15 Laici quo ad bene consolandum, et instruendum Infirmum sufficient.
- 16 Nusquam Parochus solus accedat ad Infirmos.
- 17 Parochus an teneatur praestare eleemosynas pauperibus infirmis?
- 18 Liber de Charitate Ludovici Antonii Muratorii laudatus.
- 19 Pensiones a Beneficiis Curatis sublatae a Benedicto XIII.
- 20 Archiconfraternitas Charitatis Romae instituta.
- 21 Illius onera, et munera.
- 22 Salus Animae praecipue quaerenda est in Infirmis.
- 23 Libri consolatorii adhibendi in hoc opere.
- 24 Infirmi ad Confessionem cito suadendi, et inducendi.
- 25 Constitutio Benedicti XIII. pro Medicis visitantibus Infirmos.
- 26 Medici obligationes, et casus, qui occurrere possunt.
- 27 Praestigia non adhibenda pro curandis Infirmis.
- 28 Abortus vitandi, et ipso jure damnati.
- 29 Etiam si solummodo procurentur, non sequuto effectu.
- 30 Medicamenta Circulatorum, et Foeminarum non sumenda.
- 31 Graviter infirmi plerumque periculum vitae non advertunt.
- 32 Parochus veritatem tenetur revelare Infirmis.
- 33 Parochus non sufficit ut instructus sit in sola Theologia morali.
- 34 Artem suadendi callere debet.
- 35 Ad movendos pertinaces, verbis, et orationibus utendum.

- 36 Humilitas maxime valet ad fugandum Diabolum.
- 37 Tentationes Infirmi revelandae Confessario.
- 38 Confessarius remedia apta tentationibus praebere debet.
- 39 Exorcismis uti potest contra pertinaces.
- 40 Crucis Mysteria varia.
- 41 Crux ponenda ante oculos Infirmi.
- 42 Imagines Sacrae ponendae coram Infirmis.
- 43 Aqua benedicta debet esse ad lectulum Infirmi.
- 44 Aqua benedicta violenter aspergendi Infirmi somnolenti.
- 45 Versiculi Psalmorum proponendi Viris Religiosis.
- 46 Oratio Dominicalis, *Ave Maria*, *Credo* proponi debent rudibus.
- 47 Martirum exempla proponenda Infirmis.
- 48 Libri cum Imaginibus Martyrum apud Consolutores damnatorum.
- 49 Sacerdos advertere debet, ne sit molestus Infirmis.
- 50 Missae valor.
- 51 Quanam Missa sit celebranda pro Infirmis?
- 52 Missa ad postulandam gratiam bene moriendi.
- 53 Testamentum omittere sine causa est peccatum.
- 54 Maxime quando testari oportet ad exonerandam conscientiam.
- 55 In aliis casibus nullum peccatum est.
- 56 Justum est legata instituere favore Animae suae.
- 57 Religiosi qui suadent Testamenta. caveant ne pro se petant, neque ad Sepul-
turam eligendam Infirmos cogant.
- 58 Legata pia perpetua quantum noceant?
- 59 Valetudine recuperata gratiae agenda sunt Deo.
- 60 Precum et Orationum recitandarum aeconomia. et tempus.
- 61 Motus corporales Infirmi observandi a Parocho in accessu.
- 62 Salutandus suaviter est Infirmus.
- 63 Pax danda domi habitantibus.
- 64 Aspersionis Aquae benedictae antiquissimi usus.
- 65 Psalmi recitandi ad lectulum aegroti.
- 66 Significationes istorum Psalmorum.
- 67 Versiculus *Gloria Patri* quando institutus?
- 68 Evangelia. Psalmi legendi ad lectum infirmi.
- 69 Sacerdos quidam totum Psalterium sibi legere fecit in agone.
- 70 Signa in fronte faciendae dum legitur Evangelium.
- 71 Vir debet se signare.
- 72 Foemina non debet signari a Sacerdote.
- 73 Evangelia quinque praescripta ut legantur Infirmo.
- 74 Eorum explicatio.
- 75 Manuum impositio facta a Sacerdote Infirmis.
- 76 Benedictio particularis danda Infirmis.
- 77 Benedictio unica sufficit pluribus in uno lecto jacentibus.
- 78 Orationes, et Praeces non sunt de praecepto.

1 2 3 4 Optime in hac materia scripsit P. Jacobus Mancini Cl. R. Minist. Infirm. in suo bipartito Tractatu inscripto, *Practica visitandi infirmos*. Cujus operis secunda pars locupletata a Laurentio Cutilio Monacho S. Benedicti, optime utique ad praxim nostram facit, adeo ut in hoc Titulo fere nihil quod novitatem sapiat, superaddere ad ejus explicationem habeam. Enim vero piissimum Institutum Clericorum Regularium ministrantium Infirmis valde in Ecclesia Dei prodest ad levamen, tam Infirmorum, pro quorum salute enixe laborant, et insudant, quam Parochorum, quibus unice antiquitus incumbat onus visitandi Infirmos pro spirituali medicina. Atta-

men hoc non obstante, adhuc in Parochis perdurat haec obligatio, nec per institutionem tam piaae Religionis, huc usque neque Canonem, neque constitutionem, seu legem ullam Pontificiam audivi, per quam Parochi dispensentur ab obligatione adeundi suos Infirmos, post etiam administrationem Sacramentorum, sive quae praestet illis facultatem relinquendi Infirmos suos aliorum ministrorum custodiae, qui licet integerrimae Vitae, et summae pietatis sint; attamen Pastores illarum Ovium non sunt, nec ad illos pertinet de jure, quemadmodum ad Parochum, cura, et custodia ovium suarum. Ultra quam quod facilius cognoscunt istae vocem Parochi sui, quia vere pastor est, et pertinet ad eum de ovibus suis nominatim.

5 Igitur quae a Rituali nostra praescripta sunt circa visitationem Infirmorum, hic explicabimus, intentionem nostram unice ad Parochos dirigendo, qui tenentur, ubi necesse fuerit, ad suos Infirmos accedere, eosque opportunis remediis juvare; ad quam rem in promptu semper habere debent argumenta ad animum consolandum, et erga res divinas, ac aeternas exercendum.

Insuper hortari debent Infirmum, ut peccatorum suorum dolore concepto, in Divinam misericordiam concipiat spem, atque Infirmi-tatis suae molestias, ipsamque mortem Deo, in satisfactionem pro peccatis suis offerat; atque alia allegata a Barbosa, d. p. 1. c. 7. num. 27. Sed ut ad Textum deveniamus.

§. I. Parochus in primis meminisse debet, non postremo esse muneris sui partes aegrotantium curam habere. Quare cum primum noverit, quempiam ex Fidelibus curae suae commissis, aegrotare, non expectabit, ut ad eum vocetur; sed ultro ad illum accedat: idque non semel tantum, sed saepius, quatenus opus fuerit, horteturque Parochianos suos, ut ipsum admoneant, cum aliquem in Parochia sua aegrotare contingeret, praecipue si morbus gravior fuerit.

6 7 8 Inter obligationes Parochorum, locum habet Visitatio, et cura Infirmorum ut supra diximus cum Barbosa, quia animas fidelium juvandi proprium est Sacerdotum munus. Verum in Parochiis magnae amplitudinis difficile est omnes Infirmos, statim ac periclitantur, nosse; nihilominus tenetur Parochus ad omnem curam adhibendam, ut notitia sibi praebeatur; tunc enim quando dixit Salvator: *Faciam vos fieri pisces hominum*, Marc. 1. dixit, ut servaretur Metaphora:

Piscatores sunt qui quaerunt Pisces; non autem Pisces qui quaerant Piscatores: et hoc maxime in praxi exequi debet, quia metaphora ad salvandas Animas, spiritualiter dicta fuit. Igitur ipse Parochus debet investigare, et accedere, necnon visitare Infirmum, quamvis ipsum non noverit, et novus sit in sua Parochia, Mancin. *d. pract.* 2. nec illum pigere debet, pluries hoc facere: quod ut facilius assequatur, munus erit Parochi admonere populum ad Altare, ut statim ac aliquis in gravem morbum inciderit, vel aliquem incidisse illi notum fuerit, ad accersendum Parochum accelerent; nusquam enim frustranea, et inutilis est visitatio Parochi, et semper bonum semen seminare poterit.

§. II. Ad hoc juvabit, praesertim in amplis Parochiis, aegrotorum notam, seu catalogum habere, ut cujusque status, et conditionem agnoscat, eorumque memoriam facilius retinere, et illis opportune subvenire possit.

9 20 Generaliter loquendo, juvat catalogum, et notam Infirmorum haberi a Parocho; sed in praxi difficile poni potest. Tutior, et facilius regula est ea, quae in Concilio Agathensi olim pie cauta est, relata a S. Carolo, *Act. 4. Parochus praestare curet, ut Missa celebrata, si quos in Parochiali vicinia habet, frequenter, atque adeo quotidie, cum per alias Parochialis curae suae occupationes potest, visitet: eisdemque praestet, prout esse viderit, officia charitatis, et sollicitudinis Parochiali muneri suo conjuncta. Quamobrem non expectabit, usque dum ab aegroto vocetur; sed ipse ultro ad eum veniet: Parochiales item suos, et universe, et sigillatim, saepenumero, prout occasio feret, hoc monebit, ut se accersant, cum primum aliquis in febrim, morbumve inciderit:* Et alia quae ibi sequuntur ad rem nostram facientia.

§. III. Quod si Parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest, id praestandum curabit per alios Sacerdotes, si quos habet in Parochia sua, aut saltem per laicos homines pios, et Christiana charitate praeditos.

11 12 Legitimum impedimentum dispensat Parochum ab omni munere sibi debito: sed istud impedimentum debet tale

esse, ut vere circa rem ministrandam detineatur, et ulterius debet esse verum, et probatum: puta si ob inimicitias capitales, de domo sua exire non posset, vel ob infirmitatem gravem, non autem levem, vel si detentus esset in aliquo loco, unde neque per vim egredi valeret, Barbos. *de Canon. et dignit. c. 39. n. 18.*

13 Majus impedimentum tamen est absentia a Domo, vel a Parochia sua; quae absentia debet esse rationabilis, et cum licentia obtenta ab Ordinario, loquendo de absentia a Parochia: a Domo vero potest quandoque abesse pro opportunitate negotiorum suorum, et rei familiaris: quamvis enim debeat Parochus talem sui copiam facere, ut indigentes non careant necessaria praesentia; attamen non ita arctatur, ut debeat manere quasi in compedibus, Barbos. *de pot. Par. p. 1. c. 8. nu. 43.* nisi habeat infirmos graves, quia tunc neque vagari debet per Parochiam, sed in Domo propria manere: potest enim dari casus, ut requiratur ab Infirmis, et eo non reperto, moriantur sine Sacramentis.

14 Pro regula tamen generali habetur, Parochum, justa de causa abesse volentem, sive a Domo, sive a Parochia, sive cum licentia, sive absque ea, teneri substituere Sacerdotem approbatum, qui pro se Populo inserviat, Concil. Trid. *c. 1. et tradit Possevin. c. 2. n. 13.*

15 Cura major circa hoc haberi debet in Parochiis ruralibus, in quibus solet esse Sacerdotum idoneorum penuria. In hoc casu (loquor de simplici visitatione, et assistentia praestanda Infirmis jam per Sacramenta munitis) difficile est quod desit aliquis pius Sacerdos, licet non doctus; vel devotus Laicus, qui et praestet quae sufficiant ac confortandum Infirmum, et ad illi suadendam Patientiae virtutem, atque spem in Domino.

§. IV. Aegrotos visitans, ea qua decet Sacerdotes Domini, honestate, et gravitate, se habeat, ut non aegris solum, sed sibi, et domesticis verbo, et exemplo prosit ad salutem.

16 Optimum consilium est, ut Parochus nusquam solus accedat si potest ad Infirmos, adeo ut testem, saltem unum habeat extraneum in illa domo, in quam intrat. Ita fiet, ut omnis occasio scandali evitetur, et vere omnia ministrentur cum gravitate, et honestate, etiam si domus in lupanari esset posita. Ita suis Parochis loquebatur, et consilium dabat suavissimus

Antistes Genevensis S. Franciscus de Sales, prout legitur in ejus Actis.

§. V. Eorum vero praecipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni, ac providi Pastoris charitatem, et operam requirunt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo, et eleemosynas illis, prout debet, si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest, sive per Charitatis, vel alterius nominis Confraternitatem, si in ea Civitate, vel loco fuerit, sive per privatas, sive per publicas collectas et eleemosynas, illorum necessitatibus succurrendum curabit.

17 Satis ampla quaestio est inter Theologos morales, an Parochus teneatur cum magno suo incommodo praestare eleemosynas Pauperibus sibi subjectis.

18 19 Tota difficultas est vere determinare quota pars illis debeatur de redditibus Ecclesiae. Vide absque ulla disputatione, et attende Lector, quae de charitate erga proximum, suum, luculentissime nuper scripsit Doctissimus Ludovicus Antonius Muratorius in libro Italice inscripto . . . *della Carità Christiana*: et pro certo habeto, si Parochus es, omnem tergiversationem a te excussurum, qua ab exercitio quotidiano tantae virtutis detinearis. Deo immortalis gratiarum copia danda est, qui Sanctissimum Pontificem Benedictum XIII. divino afflatu excitavit, ut lacrymabile, intolerabileque Pensionum onus a quibuscumque curam Animarum habentibus Beneficiis, imposterum auferret, peculiari sua Constitutione emanata, et condita Romae, anno 1724. octavo Idus septembris, quae incipit: *Quanta Pastoribus, etc.* Exinde sublata hac detestanda (sunt verba ipsiusmet constitutionis) Beneficiorum Ecclesiasticorum nundinatione, Pastores Animarum commodius valebunt non tantum Ecclesiarum suarum indigentiae, sed et Pauperum suorum praesertim *Infirmorum*, necessitate subvenire, ex eo quod honestae, et congruae ipsorum Parochorum sustentationi supererit.

20 21 Supplet Romae huic indigentiae Confraternitas Charitatis, quae erecta a Julio Cardin. Mediceo approbata fuit a Papa X. in Constitutione 37. edita anno 1520. quae incipit: *Illius etc.* Onus hujus Confraternitatis est praecipue succurrendi Egenis mendicare erubescens: Enixius tamen Carceratorum subventioni studet. Pauperibusque Eleemosynas profusius elargitur. In Italia per varias Urbes divulgata est haec

Confraternitas, atque instituta, cum aggregatione ad Archiconfraternitatem Romae fundatam.

Ulterius collectae fieri solent, ex antiquissima institutione ad subveniendos Infirmos, qui in Communione fidelium sunt, Casal. cap. 66.

§. VI. In primis autem spiritualem aegrotantium curam suscipiat; omnemque diligentiam in eo ponat, ut in via salutis eos dirigat, atque a diabolicis insidiis, salutarium adjumentorum praesidio defendat, ac tueatur.

22 Salus Animae primo, et principaliter, quaerenda est in Infirmis, quia tunc temporis Diabolus circuit, ut devoret, atque ut a desperata corporis salute, ad desperandam illam quoque Animae, aegrum perducatur.

§. VII. Accedat autem ad aegrotum ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta: ac praesertim Sanctorum exempla, quae plurimum valent; quibus eum in Domino consoletur, excitet, ac recreet. Horteturque, ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum poeniteat, divinam misericordiam imploret, et infirmitatis poenas, tamquam paternam Dei visitationem, patienter ferat, et ad salutem suam provenisse credat, ut vitam, moresque suos melius instituat.

23 De consolandis Infirmis, et Tribulatis plura habentur in S. Cypriani operibus, quae a Parocho percurrenda sunt, ut animum suum instruat ad prompte respondendum Infirmi lamentationibus, et instantiis. Insuper non desunt alia Volumina a piis Fidelibus edita ad hoc laudabile opus exercendum. Nuper Romae prodiit aureus libellus inscriptus: *Motivi pii, e Cristiani per indurre l'Anima in qualsisia afflizione, a riceverla con sommissione, con piacere, e profitto*, 1726. Cujus operis Author, quamvis latitare exoptaverit; attamen ex sui ipsiusmet calamo, et stylo revelatus est. Archiepiscopali fulget dignitate, et primogenitae in Italia Ecclesiae nuper praeerat, pietate, et zelo Animarum insignis.

§. VIII. Deinde, qua par est, prudentia, et charitate, hominem ad sacram confessionem inducat, et confitentem audiat, etiamsi velit totius vitae peccata confiteri; ac si opus fuerit, tam Infirmo, quam ejus familiaribus, vel propinquis in memoriam revocet, quod Lateranensis Concilii, ac plurium summorum Pontificum decretis cavetur sub gravibus poenis, ne Medici ultra tertiam vicem aegrotos visitent, nisi prius ipsis certo constet, illos Confessionis Sacramento rite expiatos fuisse.

24 Nuper circa hoc, Constitutiones antiquas renovavit; novasque superaddidit in Concilio Romano Sanctissimus Pontifex Benedictus XIII. anno 1725. quarum una, quae ad Medicos, et Infirmos spectat, hic est utiliter omnino recensenda, ut omnibus innotescat, ne ejus ignorantiam praesumant Parochi ad rite, et recte ministerium suum implendum circa Confessiones Infirmorum. Verba Constitutionis sunt, *Tit. 32. c. 1. de Poenitentis, et remissionibus*, prout infra.

25 26 *Saluberrima quamvis alia Innocentii III. Constitutione in Concilio Generali, (Lateranen. IV. Can. 22. 1215. in cap. Cum infirmitatis) declaratum fuisse legatur, corporales nonnumquam Infirmities ex peccato provenire, propter quod Medicis optimo fuit ibi consilio praeceptum, ut cum eos ad Infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, et Medicos advocent Animarum; quatenus quia cessante causa, cessate effectus; postquam Infirmo fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinae remedium salubrius procedatur: Statutum hoc nihilominus tam sanctum, et salutare in dies contemni videtur ab iis, dum frequenter gravium Animarum praejudicio evenire dolemus, quod morbo ingravescente, plures ex hac vita Sacramentali sine confessione demigrant. Nos igitur Episcopis omnibus jubemus, ut decretalem ipsam Innocentianam, et Constitutionem S. Pii. V. quae incipit: Super Gregem Dominicum, etc. (anno 1566.) super hoc etiam emanata, invigilent omnimode observari, imposita contra Medicos excommunicationis poena sibi reservata, si tertiam post Infirmi visitationem, ab Infirmi cura non abstineant, Infirmus dum usque ipse Poenitentiae non susceperit Sacramentum, quod Confessarius, relicta apud aegrotantem schedula, ejus manu subscripta testari teneatur. De hac Medici obligatione, et de nonnullis casibus circa eam occurrere solitis, late disserit Bennett. in Append. ad Joann. Bascarin. Opus Medico morale.*

§. IX. Illud praeterea diligenter servari curabit, ne quis pro corporali salute aliquid aegrotato suadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum Animae convertatur.

27 28 29 30 Intelligit Rubrica haec de non adhibendis praestigiis pro curanda Infirmiitate, seu de non usu faciendis remediis in detrimentum Animae prout esset abortus, qui ipso jure damnatus est, etiam si solummodo procuratur, licet non sequuto effectu. Insuper relationem habet ad medicamenta non a Medicis praestita, sed a Circulatoribus, et Foemellis, quae quandoque solent uti rebus superstitiosis, et animae saluti nocentibus, ob pactum tacitum cum Daemone, vel ob alias rationes, de quibus Delrio, Torreblanca, et alii diffuse loquuntur, *in disquisitionibus*, et in *Tractatu de magia*.

§. X. Ubi vero periculum immineat, Parochus monebit aegrotum, ne Daemonum astutia, neque Medicorum sollicitationibus, neque Propinquorum, aut Amicorum blanditijs se ullo modo decipi sinat, quominus ea, quae ad Animae salutem pertinent, opportune procuret, et qua par est devotione, et celeritate Sancta Sacramenta, dum sana mens est, integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam, ac perniciosam procrastinationem, quae plurimos ad aeterna supplicia perduxit, in diesque, fallente Diabolo, perducit.

31 32 Ut plurimum qui graviter, et cum periculo mortis laborant, periculum proprium ignorant, seque dicunt bene sentire: quod maxima fallacia est. Hinc originem habet illa tarditas in recipiendis Sacramentis, adeo ut sint haec postea ministranda festinanter, imo praecipitanter, et quandoque dum Infirmus non tota mente sanus. et integer est. Quapropter Parocho incumbit, (si nullus adsit qui hoc officium praestare velit) veritatem Infirmo revelare, et statum periculosum aperire, ut sedulo cogitet ea, quae pro salute Animae necessaria sunt. Scio equidem odiosum esse hoc officium, sed praestat ut tale sit; nam ex hoc malo solet multum bonum evenire, si in tempore fiat.

§. XI. Quod si aeger aliquis, hortationibus, ac monitis Sacerdotum, vel Amicorum, et domesticorum consiliis adduci non potest, ut velit peccata sua confiteri, tunc non omnino desperanda res est; sed quamdiu ille vivit, repetendae sunt frequentes, variae, et efficaces Sacerdotum, et aliorum piorum hominum exhortationes; proponendaque aeternae salutis damna, et sempiternae mortis supplicia; ostendendaque immensa Dei misericordia, eum ad poenitentiam provocantis, ad ignoscendum paratissimi. Adhibendae sunt etiam tum privatae, tum publicae ad Deum preces, ad divinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis.

33 34 Ex hoc apparet, evidenter, non debere Parochum in sola Theologia Morali esse bene instructum, sed necessitatem habere artis suasoriae, ne deficiant illi verba, rationes, et argumenta ad bene persuadendum, tunc quando opus est.

35 36 Verbis primo utendum est ad convincendos pertinentes; deinde Orationibus; sed prae caeteris ultimus modus validior est, a quo abhorreere non debent tum Parochus, tum adstantes. Itaque genibus flexis, et omni humilitate jacentes, tam Parochus, quam domestici, et si qui alii sint, orent super eum enixis precibus, ut audiantur, et videantur a pertinaci infirmo. Cum enim perniciosissima instigatio haec sit Daemonis superbiae patris, maxime valent ad eam profligandam actus humilitatis: nam inquit Apostolus Jacob. 1. *Orate invicem, ut salve-mini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Alia super hoc addit advertenda Doctissimus Jo. Dominicus Aulsius, *Institut. adjuvandi morientes, cap. 27.*

§. XII. Videbit denique Sacerdos, quibus potissimum tentationibus, aut pravis opinionibus aeger sit subjectus; eique, prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit.

37 38 39 Confessario unice possunt tentationes innotescere, quibus aeger subjectus sit. Quicumque alius Sacerdos, nisi maxima consuetudine, et familiaritate sit secum conjunctus, in obscuro jacet. Confessarius igitur apta remedia tentationibus aptabit, quae tentationes, in articulo mortis maxime solent insurgere, cum illud tempus sit tenebrarum. Opportuna remedia subministranda docet idem Aulsius, *part. 1 cap. 36* quibus invidissimus salutis nostrae adversarius funditus evertitur. His

adhibitis porro absque levamine, poterit devenire Sacerdos ad exorcismos adversus Daemones, quorum exorcismorum ope fortasse dabitur fugare Daemonem, Animum Infirmi tentationibus occupantem.

§. XIII. Sacras Imagines Cristi Domini Crucifixi, Beatae Mariae Virginis, et Sancti, quem aeger praecipue veneratur, ob oculos ejus apponi curabit. Vasculum item adsit Aquae benedictae, qua frequenter aspergatur.

40 41 42 Inquit ad hanc rem valde opportune Horatius, *Art. Poet. Segnius irritant animos demissa per aures, quam quae sunt oculis subjecta fidelibus, etc.* Sed sapientius scripsit S. Chrysostomus, *Hom. 25. Crux adversus Daemones triumphus: Crux devictio Diaboli: Crux sustentatio inopum: Crux spes desperatorum;* et Cassianus in *Psal. 4. Crux est humilium tutio invicta; superborum dejectio: Victoria Christi: perditio Diaboli: Infernorum destructio: Caelestium confirmatio, etc.* Quae Crux si ante oculos Infirmi ponatur, facile eum movebit ad considerandum Christi Sanguinem, qui pro nostra salute effusus in illa est. Item Imago Beatae Mariae Virginis, quae cum sit refugium Peccatorum, afflictum consolabitur. Pariter effigies alicujus Sancti ejus tutelaris, et Patroni ad hoc juvabit: cum enim illi Infirmus sese commendaverit reliquo vitae tempore, multo majis se devovebit iu dubio, periculisque pleno mortis conflictu, Aulis, *d. cap. 9.*

43 54 Insuper Aqua benedicta adsit, qua irrorentur tam Infirmus, quam qui adstant, et hoc saepissime ob maximas, et innumeras virtutes ejus ad fugandos, ac prosternendos Daemones; et ut proximi puriores fiant. Ultimo loco dicam, optimos effectus me vidisse productos, si quandoque in faciem aeger, vehementi vibratione Aquae benedictae aspergatur: excutitur enim a somnifero lethargo saepius a Daemoniaca occupatione proveniente.

§. XIV. Proponet etiam aegrotanti, prout ejus conditio feret, aliquas breves Orationes, et pias mentis ad Deum excitationes; praesertim versiculos e Psalmorum Libro, vel Orationem Dominicalem, et Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, vel Passionis Domini nostri meditationem, et Sanctorum martyria, et exempla, ac caelestis gloriae bea-